

potestatis, iique obligatione tenerentur subsidium praestare. Ita in causa Hilarii Arelatensis damnati a Leone M. Constitutionem suam edidit Valentinianus III ut decretum Leonis tueretur inquit « Cum Sedis Apostolicae Primatum Sancti Petri meritum, qui princeps est episcopalis coronae, et Romanae dignitas civitatis sacrae etiam Synodi firmarit auctoritas, ne quid praeter auctoritatem Sedis istius illicitum praesumptio attentare nitatur: tunc enim demum Ecclesiarum pax ubique servabitur, si rectorem suum agnoscat universitas.. Et erat quidem ipsa sententia (Leonis) per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritati in Ecclesia non liceret? etc. » Quare officium hoc Imperatores non ex potestate in res ecclesiasticas, sed ex debita subordinatione potestati Ecclesiae praestiterunt: de qua in Tract. seq. l. c.

At 4) falsissimum et prorsus absurdum est quod docet Illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis De Marca (Concordia L. VII, c. 2) « Imperatores habuisse auctoritatem concedendi rescripta pro revisione supremorum iudiciorum, sive illa civilia essent, sive ecclesiastica. Nam, pergit idem, edicta praefectorum praetorio obnoxia non erant appellationi, sed revisioni tantum, si eam qui causa ceciderat fieri peteret libello in eam rem oblato Imperatori... Implorabantur etiam rescripta Principum adversus suprema synodorum iudicia » (haec Marca docet supremam auctoritatem ad Synodum uniuscuiusque provinciae pertinere). Docet deinde idem quod huiusmodi ius concedendi revisionem causarum ecclesiasticarum concessum fuit a Patribus Sardicensibus Romano Pontifici (ita enim eos canones, in quibus de appellatione agitur, homo acutissimus interpretatur, sed de his in seq. Tract.); ita tamen ut integrum idem ius et plenius, utpote nativum, manserit penes Imperatorem, ibid. c. 3. Absurditas huius sententiae, quam ipse De Marca pro sua modestia fatetur ignotam fuisse interpretibus canonum graecis et latinis, evidentissima est. Nam potestas haec concedendi rescripta pro revisione causarum iam ab Episcopis iudicatarum est 1) potestas deputandi alios iudices qui secundum iudicium instituant: est 2) potestas iudicandi (nisi machinae in morem agat Imperator) an sententia in priore iudicio lata sit examini subiicienda, ideoque instituendi iudicium de causa Ecclesiastica quae agitur, et de sententia Episcoporum: quocirca 3) est potestas cui directe subsunt et auctoritas Episcoporum iudicantium, et causae ecclesiasticae, sicut directe subsunt causae civiles et iudices civiles: est proinde 4) potestas propria illius cui Christus commisit regimen Ecclesiae. Atqui Christus non Imperatoribus, sed Petro supremam et universam potestatem in Ecclesiam commisit, quae potestas, ut vidimus, est prorsus independens a potestate civili. Cum

ergo universa potestas Ecclesiastica sit propria Ecclesiae, eaque sit independens, nulla est reliqua potestas Imperatori in res et causas ecclesiasticas, neque ea potest ullo modo ei subiici; qui non est pastor sed agnus pascendus. « Quantum ad religionem pertinet (ait Gelasius in Commonitorio ad Faustum) non nisi Apostolicae Sedi debetur summa iudicii totius: quantum ad saeculi potestatem, illa a Pontificibus, et praecipue a b. Petri vicario debet cognoscere, quae divina sunt, non ipsa eadem iudicare: nec sibi hoc quisquam potentissimus saeculi, qui tamen Christianus est, vindicare praesumit, nisi religionem forsitan persequens. » Sententiam oppositam historice probat, quemadmodum frequentissime argumentari solet De Marca, vel ex factis, quae ad rem non faciunt, vel ex abusu quorundam Imperatorum. Verum falsitas etiam historice huius sententiae, quae ius supradictum tribuit Imperatoribus, facile patet. Constat enim Ecclesiam diserte asseruisse oppositum, et vetuisse quamcumque provocationem a iudicio Episcoporum ad Principes seculares. Etenim et Patres Synodi Antiochenae, cn. XII, et Patres Conc. Constantinop. I, cn. VI. cum statuissent a prioribus iudicibus provocandum esse ad maiorem Synodum, subdunt Patres quidem Constantinopolitani « Si quis autem (qui Episcopum accusavit) iis, quae decreta sunt, contemptis, ausus fuerit vel Imperatoribus aures molestia afficere, vel secularium principum iudicia, vel universalem Synodum perturbare, neglectis Dioecesis Episcopis, eum nullo modo esse ad accusationem admittendum, ut qui canonibus iniuriam fecerit, et ecclesiasticum ordinem everterit » (1). « Si vero (verba Antiocheni) haec parvipendentes (Episcopi damnati in Synodo) molesti fuerint Imperatori, hos nulla venia dignos esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futurae restitutionis penitus operiri. » Audis provocationem huiusmodi a iudicio Episcoporum ad iudices seculares esse *eversionem ordinis ecclesiastici?* subvertitur nempe hierarchica potestas divinitus instituta et supernaturalis, cum civili potestati ius tribuitur de suis actibus suisque negotiis aliquid decernendi. Hinc Socrates L. II, c. 40, cum narrasset Cyrillum hierosolymit. episcopum depositum a synodo provocasse ad maiores iudices (« qui simul ac de gradu esset deiectus, appellationis libello ad eos qui deiecerant misso, ad maiores iudices provocavit: cui quidem appellationi etiam imperator Constantius suffragatus est ») subdit « *Solus igitur et primus praeter*

(1) Canon VI, cuius quod recitavimus ultima pars est, reperitur tantum in codice graeco canonum et penes collectores graecos: (cf. Conc. Mansi Tom. III, p. 559) et in paraphrasi arabica canonum (ibid. p. 575), et adversus graecos citatur a Nicolao I epist. 8. ad Michaellem Imperatorem. Totus canon quam maxime respondet aetati Synodi Constantinop. I.

consuetudinem ecclesiastici canonis Cyrillus fecit, appellationem sicut in secularibus iudiciis fit interponens. » Nimirum quod Socrates reprehendit non est appellatio ad maiores iudices, qua primus Cyrillus sit usus, quod falsum esse ipse Socrates noverat; sed est vel appellatio ad Imperatorem, vel appellatio eo modo interposita quo in secularibus iudiciis fieri solebat, h. e. invocata auctoritate Imperatoris « *appellationi Constantius suffragatus est.* » Idem et Constantinus reprehenderat in Donatianis, qui primi ausi sunt ad Imperatorem provocare. Nam Constantinus respondit (Concc. Mansi T. II. p. 478): « Meum iudicium postulant qui iudicium Christi exspecto... Perquirunt secularia relinquentes caelestia. O rabida furoris audacia! Sicut in causis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt. Etenim gentes minora interdum iudicia refugientes, ubi iustitia deprehendi potest, magis ad maiora iudicia auctoritate (imperiali nempe) interposita ad appellationem se conferre sunt solitae. » Reprehenduntur Donatiani, vel quod nunquam iudiciis latis acquiescere vellent, quod ab evangelica simplicitate alienum ducebat Constantinus; vel quod appellaverint sicut in causis gentium fieri solet, ad Imperatorem scilicet. Si autem rursus post sententiam Romanae Synodi Constantinus Donatianos turbulentos Arelatem venire ad iudicium concessit, id pro bono pacis ex consensu Romani Pontificis fecisse dicendus est: qui pontifex per legatos Synodo Arelatensi praefuit, et ad quem omnium gestorum relatio missa est. Nec Synodus ea necessaria erat teste Augustino ep. 43. n. 20. cum iam Melchisedes rem definisset, et quidem auctoritate sua (Cf. ibid. n. 14) non tamquam a Constantino delegatus. Cf. Natalem Alex. H. E. S. IV. D. 3. q. 2.

Quod speciatim spectat ad convocationem Conciliorum dicemus suo loco cum de Conciliis agemus. Leges vero ab Imperatoribus laetae res ecclesiasticas attingentes eatenus valuerunt, quatenus ab Ecclesia acceptatae, suaque auctoritate firmatae sunt.

Obiicitur quoque quod ait Optatus L. III: « Iam tunc meditabatur (Donatus) contra praecepta Apostoli Pauli potestatibus et regibus iniuriam facere, pro quibus, si Apostolum audiret, quotidie rogare debuerat. Sic enim docet: Rogate pro regibus et potestatibus, ut quietam et tranquillam vitam cum ipsis agamus. *Non enim respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in republica est,* id est in imperio Romano. Quod libanum appellat Christus in Canticis canticorum, cum dicit, veni sponsa mea, veni a libano, id est de imperio Romano, ubi et Sacerdotia sancta sunt, et pudicitia, et virginitas, quae barbaris gentibus non sunt, et, si essent, tuta esse non possent. Merito Paulus docet orandum esse pro regibus et potestatibus, etiamsi talis esset Imperator qui gentiliter viveret. Quanto quod Christianus,

quanto quod Deum timens, quanto quod religiosus, quanto quod misericors, ut ipsa res probat? » Iam vero ea sententia: *non respublica in Ecclesia, sed Ecclesia in republica est,* significat Ecclesiam subesse reipublicae veluti partem toti, sicut consortium quoddam intra societatem existens subest potestati sociali.

Respondeo verba ea ab Optato immediate connecti cum verbis Pauli, eoque spectare ut reddatur ratio cur dixerit Paulus: quietam et tranquillam vitam *cum ipsis* agamus, cur nempe significaverit Paulus tranquillitatem vitae christianae pendere quoque a regibus: quia scilicet Ecclesia est in republica. Respublica haec non est quaevis societas civilis, sed imperium Romanum, quod eam appellationem antonomastice diu retinuit, quod praedeterminatum fuerat a Deo ad tutelam christiani nominis (quod libanum appellat Christus etc.). Quare existentia Ecclesiae in republica non est existentia *physica* quam etiam in aliis societatibus habebat, sed potius *civilis*, quae nempe protegatur civilium legum auctoritate contra iniurias adversariorum aggressiones; quod aetate Optati in solo imperio Romano obtinebat. Itaque *Ecclesiam esse in republica* perinde est ac *Ecclesiam libertate sua in republica gaudere*, fruique patrocínio debito potestatis civilis contra hostes suos. Hinc vicissim *republicam non esse in Ecclesia* nihil aliud est Optato quam *republicam seu imperium Romanum patrocínio Ecclesiae non uti adversus hostes suos*, quemadmodum usque ad eam aetatem in qua Optatus scribebat, Romanum imperium exercitibus suis non Ecclesiae patrocínio se ab hostibus defenderat. Quocirca non iniuria afficiendus Imperator, ut Donatus facere meditabatur, sed pro ipso potius orandum est quippe per quem quietam et tranquillam vitam agimus. Cf. Cl. Tarquini Iuris eccles. pub. Instit. L. I. n. 56.

Porro si adversariorum sententia per se spectetur: *Ecclesia est in republica*, sive ut interpretantur, *in societate civili*, negandum est primo eam esse in republica *formaliter*, quia nedum fines diversi sunt, sed finis Ecclesiae est supernaturalis, ipsaque societas intrinsece supernaturalis: negandum est secundo Ecclesiam esse *materialiter* in societate simpliciter, quia Ecclesia una est et catholica, quae quamlibet societatem civilem excedit; quamvis si Ecclesiae particulares spectentur, possit secundum quid concedi Ecclesiam esse materialiter in republica: negandum proinde tertio Ecclesiam esse partem reipublicae, tum quia est societas ordinis superioris, nempe supernaturalis, tum quia est societas perfecta, habet enim potestatem iurisdictionis plenam qua regatur, et independentem a quavis potestate humana, ut probavimus; et idcirco est aliquid totum sibi constans, non pars. (Cf. opus cit. n. 57.)

Quod vero ait Dr. Reinkens auctoritatem civilem esse quoque moralem et religiosam eo quod sit immediate a Deo iuxta Paulum ad Rom. XIII, 1-8; ommissa nunc interpretatione paulini textus de qua alibi dicendum erit, satis est advertere quod non est consequens potestatem esse religiosam ex eo quod est a Deo immediate; et quod aliud est religione obligari homines ad obedientiam erga eam auctoritatem, aliud ipsam posse leges ferre religiosas.

Corollarium. Ergo cum in Ecclesia sit certa potestas a Deo constituta, et potestas haec sufficiens sibi debeat esse pro regimine societatis: et Ecclesia sit societas hominum visibilis ac perfecta, ideoque postulet regimen necessarium ordini et tranquillitati in ipsa tuenda; potestas autem pro regimine necessario societatis sit potestas iurisdictionis, h. e. potestas coactiva ferendi leges, iudicandi et puniendi, talis potestas asserenda est Ecclesiae; quod uberius declarandum et demonstrandum est in §. seq.

§. XIX.

Potestas ecclesiastica est iure divino potestas iurisdictionis vere coactiva.

1. Marsilius Patavinus in *Defensorio pacis* p. II c. 4. seqq. docet Romanum aut quemlibet alium episcopum sive presbyterum vel clericum virtute verborum Scripturae nullum coactivum principatum seu iurisdictionem contentiosam supra quempiam clericum vel laicum sibi vindicare posse, et omnes Episcopos ipsumque Romanum Pontificem subesse debere coactivo iudicio sive principatui dominantis auctoritatis legislatoris humani praesertim fidelis. Doctores proinde esse in Ecclesia qui doceant quid agendum, esse et penes eos auctoritatem in foro interno declarandi remissa esse peccata, et commutandi poenas alterius vitae cum poenis huius vitae: neminem vero esse qui urgere possit observantiam legis, nullum esse iudicem coactiva potestate praeditum in causis transgressionum legis evangelicae praeter Christum, qui tamen non in hoc seculo sed in altero iudicium sibi reservavit. Si vero princeps secularis legem aliquam evangelicam auctoritate sua sanxerit, is ad eius observantiam cogere et iudicium coactivum de ea instituere potest; vel etiam Ecclesia id potest, sed ex concessione principis secularis, usa eius auctoritate. Idem docet M. Antonius de Dominis *de Republica ecclesiastica* L. V. seqq. Pariter Richerius in opere *de ecclesiastica et politica potestate* cc. 11. 12 docet quod cum Ecclesia neque territorium, neque ius gladii habeat a Christo, et ad finem supernaturalem tantum instituta sit, de mediis necessariis ad salutem suasive tantum et directive non

coactive poenas temporales irrogando iudicat. Sed princeps politicus, ut Dominus reipublicae ac territorii, vindex est atque protector legis divinae, naturalis et canonicae: quare in eum finem leges figere et gladium distringere potest.

Febronius qui Romano Pontifici Primatum quidem directionis concedit, negat vero iurisdictionis, hinc potestatem quoque coactivam detrectat. Ita sentit et Eybel (ut refert Pius VI in Brevi « Super Soliditate » quo opus eius proscripsit tanquam continens propositiones respective falsas, temerarias etc. inducentes in haeresim, haereticas) « vim nempe Primatus hac una praerogativa contineri supplicandae aliorum negligentiae, prospiciendi conservationi unitatis hortationibus et exemplo. »

Eosdem instauravit errores Ioannes Nepomucenus Nuytz in Institutionibus iuris ecclesiastici, et in tractationibus in ius ecclesiasticum universum; quae opera damnavit Pius IX Brevi « ad Apostolicae » 22 Augusti 1851. Docuit nimirum Nuytz « Ecclesiam vis inferendae potestatem non habere, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam. »

Hinc Ioannes XXII (Constitutione data 28 Octobris 1327 penes Raynaldum) hanc propositionem quintam inter quinque Marsilii prosriptas ut haereticas, damnavit « quod tota Ecclesia simul iuncta nullum hominem punire potest punitione coactiva nisi concedat hoc imperator. » Item Pius VI sic confixit propositionem 4^a Synodi Pistoriensis: « Propositio affirmans, *abusum fore auctoritatis Ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasionem et corde, tum etiam, multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis; quatenus indeterminatis illis verbis extendendo ad res exteriores notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae usum eius potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriori constituenda et sancienda: haeretica. Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasionem: quatenus intendit Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasionem, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio, ac salubribus poenis coercendi atque cogendi ex Bened. XIV in Brevi « Ad assiduas » anni MDCCLV Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis Regni Poloniae: inducens in systema alias damnatum ut haeticum. » In literis encyclicis SS. Pii IX « Quanta cura, » inter prava ac toties damnata novatorum commenta, illud enumeratur: quod Apostolicae Sedi denegat omnia iura circa*